

tibus eminentissimis instructus, præ reliquis potentiâ, fortunis atque autoritate conspicuus, qui nullis eget subsidiis in hoc mundo, sed omnia habet necessaria ad vitam sustentandam, & non indiget aliorum ope atque auxiliò. Ita enim locò citatò infit: ὁ ἀπολις ἀλλ' φύσιν ἔσ' ἀλλ' τύχην ἔστ' ὁ Φαῦλος ὄντων ἢ κρείττων ἢ ἀνθρώπων. *Qui absq; civitate est per naturam, non per fortunam, aut nequam est, aut potior quàm homo, id est, DEUS.* (6) Denique DEUS sumitur pro Ente summò & perfectissimò, quod aliarum rerum omnium est principium & causa, & à quò omnia, quæ in hoc mundo sunt, dependent, facta sunt, reguntur ac conservantur.

§. 3. Hic obiter notandum, quod nomen *DEI* se habeat ad hæc omnia, nempe ad *DEUM* verum, ad Angelos, Magistratûs ac Idola per modum eorum, quæ Logicis dicuntur communia *θεός ἐν ἢ ἀφ' ἐνός*, i. e. ab unò ad unum five analogâ attributionis. Convenit enim nomen *DEI* *DEO* vero proprius, Angelis verò hominibus ac idolis per posterius & ob quandam habitudinem ad verum *DEUM*. Nam Angeli & Magistratus dicuntur *DII* ob excellentiam, & dignitatē, quam à *DEO* habent & ob ministerium, quod in exercendis *DEO* judiciis & perficiendis ejus operibus veluti vicarii *DEI* præstant, Idola autem *DII* dicuntur, quod falsò existimantur *DII* esse. De nomine *DEUS* idolis conveniente saltim Scholastici movent quæstionem, annon idolis univocè tribuatur, cum gentiles persuasi idola esse veros *DEOS*, non aliò significatu idola sua dixerunt *DEOS*, quàm quò nos verum *DEUM* dicimus *DEUM*. Sed responsio facilis est, si ex mente Idololatrarum loqui velimus, utique nomen *DEUS* tribuatur Idolis univocè, cum illi persuasi fuerint, idola esse veros *DEOS* & dari verè plures & propriè dictos *DEOS*; sed vox *DEUS* tribuitur